

tur, in qua nunc leprosi mundantur: cum enim advenierint, sæpius lavantur flumine, donec ab infirmitate purgentur &c. Ipse quoque Jordana ab eo loco, in quinto milliarum mari commixtus mortuo nomen amittit. Buntingius in Itinerario N. Test. p. 9.

Christum baptisate donatum abs Johanne arbitratur Bethabaræ haut procul a Jordane, eo quidem loco, ubi Josua sicco pede una cum populo Israelitico transfierit Jos. 4. & 5. Quas κρείττον & κόμμα Vi-
rorum sententias adduxisse sufficiat; De Bethabara, cum præsentis non sit instituti, conferat Φιλομαθῆς Lector celebratissimi nominis philologos, Ludovicum de Dieu, Scultetum, Capellum, Walæum, egregie de eodem commentantes.

§. 3. Succedit jam ipsum princeps instituti κεινόμενον de præsentia sc. adorandi Sancti Spiritus, canæ apparentis specie columbæ, circa quod expediendum sequentes præcipue occurrunt quæstiones: Cur nimirum sub tali & non alio signo apparere voluerit Sanctus Spiritus? Quomodo id factum fuerit? Cur nunc columbina, pentecostali vero tempore ignea se stiterit specie? tum denique quid iste columbæ in verticem Messiaë significarit volatus? Equidem spatiosior aperitur differendi campus, quem nos brevioribus tamen lineis dimetiemur.

§. 4. De COLUMBIS (ut hæc אַנְבֵּי אֲוִירָה ὡς ἐν παρόδῳ tangamus), multa memoratu digna referuntur ab historicis. Naturalis scriptores scientiæ firmiter autumant, cum nihil iis sit fœcundius, nihil tamen & iis esse castius, nihil simplicius. *Prima columbis nota pudicitia*, inquit Plinius, & *neutri nota adultera*. Conjugii fidem non violant, communemque servant domum; nisi cœlebs aut vidua nidum non relinquit. Ælianus refert, si impudico forte amore captum hoc animal alienam persequatur Venerem, ipsum circumfœderi ab aliis, ac marem quidem a maribus dilacerari, feminam a feminis disperdi.

§. 5. In